

§ 24. Quid? noster hic Magnus.

De Cn. Pompeio dici est manifestum. Et opportune, quoniam supra mentionem fecerat Macedonis Alexandri, cui hoc idem cognomentum fuit, de Pompeio dicturus adiecit *hic noster*.

§ 25. Epigramma in eum fecisset, tantum modo alternis versibus.

Ab exemplo iudicando, non sine differentia tamen personarum haec argumentatio impletur L. Syllam praeter ceteros Archiae daturum civitatem Romanam fuisse, poëtae 10 nobilissimo, qui etiam malos plerosque existimaverit honorandos. Alternos igitur versus dicit elegiacos metris scilicet dissentientibus varios. Primus autem videtur elegiacum carmen scripsisse Callinos. Adicit Aristoteles praeterea hoc genus poetas Antimachum Colofonium, Archilochum 15 Parium, Mimnermum Colofonium, quorum numero additur etiam Solon, Atheniensium legum scribtor nobilissimus.

Ex his rebus, quas vendebat, iussit ei tum pretium tribui, sed ea condicione, ne quid postea scriberet.

Non potuit expressius vitia poëtae declarare, quam dicendo datum illi non praemium laudis, sed mercedem silentii.

§ 26. Etiam Cordubae natis poëtis pingue quiddam sonantibus.

De versiculis nec egregio cultu nec amoena varietate 25 nec eminentibus figuris carmen instructum.

§ 27. Decimus quidem Brutus.

Hic Brutus Gallaecus fuit cognomento ob res in Hispania non minus strenue quam feliciter gestas. Eius